

Faint handwritten text, possibly a library or collection mark.

Embossed crest featuring a seated figure holding a staff, surrounded by floral motifs.

Small banner below the crest with illegible text.

Rectangular area containing the name 'GEBHARD VON ALVEN' and 'BIBLIOTHECA VALTINI' in two lines.



v. 08/11

Acte Nr. 264.

Holder (3 mal)

in 6 andere Schriften.

K. IV. 46.



Handwritten text in a cursive script, possibly a name or title.

Handwritten text in a cursive script, possibly a name or title.

Handwritten text in a cursive script, possibly a name or title.

Oratio
DE INCARNATIO.
*ne Filij Dei, D. N. Iesu
Christi,*

CONTRA IMPIOS
ET BLASPHEMOS ERRORES
ZVINGLIANORVM ET CAL-
uinistarum,

IN VIGILIA NATIVITATIS
Iesu Christi Tubingæ habita,

A
IACOBO ANDREA D.



T V B I N G A E,
Apud Georgium Gruppenbachium,

M. D. LXXXVI.

I.
GENERIS NOBILITATE, SAPIENTIA, VIRTUTE,

ET DOCTRINA PRÆSTANTISSIMO VIRO, D.

Erasmo à Laimingen, in Roteneck & Degernbach, &c. Magno Curiaë Vvirtembergensis Magistro,

Gratiam & pacem in Christo.



Non ignoro, quàm plurimos in ea opinione versari, ut existiment, inter Ecclesiarum nostrarum Doctores, & Sacramentarios, de uno duntaxat Religionis Articulo, eoquæ non toto, sed eiusdem parte solùm, videlicet tantùm de modo præsentiaë corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini, certamen esse.

Quod Compilatores Cacodoxi Zuinglianorum & Calvinianorum Consensus sequentibus verbis apertè confirmant: Quod recepta Ecclesie dogmata attinet, NVLLA (inquiunt) inter nos & Augustanae

In præfatione Apologetica. B. 4. f. 2.

A 2 Conz

Confessionis socios *EST, QVAM* quæ,
renascentis *Euangelij* tempore, inter præci-
puos & primos eius præcones, de Cæna Do-
mini nostri *Jesu Christi* exorta est. Cumq;
Augustanæ Confessionis Theologi hæctenus
in multis liberè & apertè à *Luthero* dissen-
tirēt, Nos soli in *inexpiabile* scelus committe-
re iudicamur, qui in *VNO TANTVM* CAPITE
Ibidem. à *Lutheri* auctoritate, *QVA SOLA* NOS OP-
PRIMERE VOLVNT, recedamus.

A. 1. fa. 2. Horum verborum, propter memoria im-
becillitatem, obliti, in eadem Epistola seu
Præfatione scribunt: *NEC ENIM* DE SOLA
DOMINI COENA, SED DE *Jesu Christi*, Sal-
uatoris & Mediatoris persona: De *Diui-*
næ & *Humanæ* naturæ *VNIONE*, & distin-
ctione: De corporis eius *omnipræsentia*, &
eiusdem corporali, quæ ore & dentibus fiat,
& tam pijs quàm impijs communis sit, man-
dicatione: De *ascensione* eius in cælum, &
sensione

sessione ad Dexteram Patris, tanto feruore contenditur, ut non paucae veterum haereses, quae olim damnatae, & extinctae fuerunt, quasi ex inferis reuocatae, caput rursus attolant. Ex qua vanitate & manifesta contradictione, impudentia huius spiritus aperte conspicitur.

Id quum tibi, Vir amplissime, minimè ignotum sit, non dubitavi, nomini tuo Orationem consecrare, quae nuper à me hic de Incarnatione Filij Dei est habita. Quae teterimos & abominandos illorum errores de persona Christi duntaxat recitavi. Quorum nuda & simplicissima commemoratio, quid de illorum Spiritu iudicandum sit, manifestè docet. Etenim tam manifestè impia & blasphema sunt illorum Dogmata haec, ut alia omnia mittamus, si pia mens audiat solùm, fieri non potest, quin homo Christianus statim toto pectore perhorrescat.

A 3

Qui=

P R A E F A T I O.

Quibus tandem permittente Domino, eò
 perueniunt, ut, quod in verbis Testamenti
 Christi iampridem eos facere non puduit,
 idem quoque de verbis Ioannis Euangelistæ:
 VERBUM CARO FACTVM EST, facere non
 vereantur, & asserere: Ea per tropum neces-
 sariò accipienda, neque, V T S O N A N T, intel-
 ligenda esse. Deoq̄ue IMPOSSIBILE affir-
 mant, ut hanc enunciationem veram efficiat:
 Hic Homo est Deus, si per vocabulum (Ho-
 mo) verus homo intelligatur. Sententiam
 enim horum verborum esse docent: Filius
 Dei est Deus, qui hunc hominem gestat &
 sustentat, quod apertè Nestorianū est. Ea
 T. Amplitudo pro sua singulari pietate leget,
 expendet, iudicabit, & me sibi cōmendatum
 habebit, DONEC, eādē impietate, cum
 horribili & multiplici Idolatria, in Iesuitis In-
 golstadiensibus fulmine & gladio verbi Dei
 expugnata & repressā, patriam nostram
 A V I

P R A E F A T I O.

5

AVITAM doctrinâ Euangelij sincerâ & in
corruptâ repurgatam, & florentem, cum
summo, & nostro, & plurimorum piorum
gaudio aspiciamus. Quod ut breui fiat, Deus
Optimus Maximus, Pater D. N. Iesu
Christi, per Spiritum sanctum faxit, Amen.
Benè & foeliciter T. A. valeat. Tubingæ,
pridie Calendarum Martij 1586.

T. A.

addictissimus
semper

Iacobus Andreæ D.

Oratio de Incarnatione Filij Dei,

Consuetudo scho-
læ Tubingensis.



1. Timoth. 3.
Mysterium incar-
nationis Filij Dei
magnum, piè me-
ditandum.

Mysterium incar-
nationis Filij Dei
Sathanæ exosum.

Studium Sathanæ
in veritate oppu-
gnanda.

Odiū Sathanæ cō-
tra puritatem do-
ctrinæ Euangelij.

IE ET SAPIENTER A MAIORIBVS NO-
stris constitutum est, vt quotannis oratio de
Natiuitate Domini & Saluatoris nostri Ie-
su Christi habeatur. Cū enim pietatis
hoc Mysterium, teste Apostolo, citra controuersiam,
sit magnum: quòd Deus in carne manifestatus est, om-
nem ingenij humani captum excedens, non modò vti-
le, verū etiam, hoc præsertim seculo perturbatissimo,
quo veteres, veræ Ecclesiæ iudicio damnatæ hæreses
ab Orco reuocantur, valde necessarium est, vt in vera
eius fide iuuentus diuinis oraculis certissimis confirme-
tur, & ad piam contemplationem tanti mysterij exci-
tetur.

Equidem iam inde à tempore incarnationis Filij
Dei, varijs modis hoc sublime, & rationi humanæ ab-
sconditum Mysterium oppugnare & obscurare cona-
tus est Sathan, vt homines à vera eius cognitione ad
tetros errores auerteret. Quapropter summâ curâ &
sollicitudine vigilandum, & eò nobis sedulò incum-
bendum est, vt huius spiritus maligni conatibus occur-
ramus, & quantum in nobis est, veram eius cognitio-
nem sartam & tectam conseruemus, in qua omnis sa-
lutis & æternæ vitæ nostræ ratio reposita est.

Quæ sollicitudo eò maior in nobis excitari debet,
quòd præter innumeras hæreses, quibus nunc annis
mille quingentis in opprimendo hoc Mysterio Sathan
nihil intentatum reliquit, vt luce veræ agnitionis Chri-
sti prorsus extincta, in teterrimos errores, & veteres
damnatas hæreses denuò incidamus.

Postquam enim sub densissimis tenebris Papatus
meriti Christi vera & salutaris cognitio ferè prorsus sub-
lata

lata est, vt peccatorum remissio, & vera pro illis satisfactio, non in ipsius Christi passione & morte solùm, sed in humanorum operum meritis potissimum quæretur: tenebræ autē illæ, exorta Euangelij clarissima luce, ministerio diui Lutheri adeò discussæ essent, vt superstitioni & Idolatriæ Pontificiæ, homines non amplius pietatis studio, sed quæstus & voluptatum, vel metus duntaxat causâ, adhærent: alium ingressus viam malignus spiritus, fanaticos homines excitauit, qui relicto officio Christi, personam eius denuò adorti, eam dilacerandam suscipere: qua simul etiam officij eius veram rationem tollerent, & Christum vnâ cum omnibus suis beneficijs penitus pijs mentibus eriperent.

Cùm enim Lutherus, exemplo populi Israelitici in occupatione terræ promissæ, aduersus Romanum Antichristum, eiusque multiplicem Idololatriam, non humana authoritate, Conciliorum videlicet aut Patrum, sed solo Verbo Domini sincero & incorrupto strenuè pugnaret, extrema castrorum eius, per Carolstadium, Zvinglium, & socios eius Satan adortus est, vt electum illud Organon Dei ab hac pugna retraheret, & ad confirmandum regnum suum, cursum Euangelij felicissimè procedentis, impediret.

Sacramentarij castrorum Lutheri extrema adortur.

Sacramentarij cursum Euangelij impediuerunt.

Vidit enim astutissimus spiritus, efficaciam illusionis, quantumuis magnam, quam permittente Domino, sub Papatu, aliquot seculis in Ecclesia Dei exercuit, non amplius procedere, & Idolomaniam adeò crassam esse, vt nullâ Sophisticâ eam amplius tegere possit, sed à suis cultoribus quoque rideri: nihil etiam tristissimis persecutionibus suis se proficere, per quas lux doctrinæ Euangelij exorta, latius subinde radios suos spargere non desinit.

B Ne

8
Oratio de Incarnatione Filij Dei,

Satan longam telam per Sacramentarios texit.

Certamen Sacramentariorū Pontificijs animam addidit.

Pij certamine Sacramento remissiores facti sunt.

Regnum Satanæ, quomodo per certamen Sacrament. stabilitum sit.

Ne autem hæc Sathanæ astutia statim animaduertetur, longam telam texere conatus est. A doctrina de cœna Domini exorsus, cuius simplicitatem & puritatem infelicissimo certamine perturbavit. Quo exorto, Pontificij sibi non modò inducias pollebantur, sed spem minimè dubiam conceperant, fore tandem, vt oppugnatores Papisticæ ipsorum Religionis, mutuis vulneribus concidant. Ideoque in hac diffensione fouenda, magno studio in hoc elaborârunt, ne coniunctis animis & viribus se pontificiæ Religioni opponerent, qui impietatem & tyrannidem huius Antichristi abiecerant. Quod etiam nunc sedulò faciunt.

Pij verò, & qui Religioni Pontificiæ nondum penitus renunciauerunt, neque etiam in fide solius meriti Christi satis confirmati fuerant, hoc certamine exorto, primùm omnium perturbati, remissius agere incipiunt. De veritate doctrinæ Euangelij dubitantes, exitum & finem certaminis expectare voluerunt. Quæ causa est, vt cùm adhuc in fide infirmi essent, prorsus nescirent, quò se conuertere deberent.

Cùm igitur Sathan animaduertetur, Regnum suum per hanc controuersiam excitatam, multis & varijs modis stabiliri, Pontificij in erroribus suis quotidie obstinatiores, infirmi autem in fide remissiores facti essent, Luthero autem in recens de Cœna Domini exorto certamine contradicentes, suos errores longè lateque spargere magno studio contenderent, omnem astutiam suam eò conuertit, vt pontificijs quiescen-

escendentibus, & multiplici Idolatria Regnum eius stabili-
entibus, potentiam & vires fanaticorum istorum ho-
minum augetet. Quos, in humani ingenij acumine &
spiritu turbulento, tanquam firmissimo præsidio col-
locatos, se habiturum confidit.

Quibus duo potissimum principia indubitata, ad Duo potissimum
præsidia spiritus
Sacramentariorū.
propagationem erroris sui proposuit: Alterum, vt de
tanto Mysterio amplius non crederent, quàm lumen
rationis humanæ admitteret: Alterum, vt armis, si pos-
sint, religionem suam tueantur.

Hæc, cum tot annorum decursu edocti proh do-
lor, non remittere, sed quotidie augeri videamus, quæ
Dominus propter nostram ingratitude, & nause-
am ergo verbum Dei syncerum & incorruptum, adeo Pœna contemp-
tus synceri verbi
Dei.
quæ Epicuræam vitam nostram permittit (quâ, liberta-
tè Christi, in quam asserti sumus, ad carnis licentiam,
& omnis generis voluptates impiè abutimur) & hoc
modo efficacia errorem vindicat, tristissimi iudicij Do-
mini nequaquam obliuiscamur, quod contra regem
Achab in cœlis decretum fuit. Sicut scriptum est: Quis 1. Reg. 22.
decipiet Achab? Et egressus est spiritus, qui stetit co-
ram Domino, & dixit: Ego decipiam illum, cui dixit
Dominus: In quo decipies? Et ait. Egrediar, & ero spi-
ritus Mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et
dixit Dominus, egredere, & fac ita, decipies, & præua-
lebis. Quod horrendum Dei iudicium, metuendum,
ne quàm plurimi cum posteritate experiantur.

Cum enim seruus, sciens voluntatem Domini, & Ingratitudo seculi
nostri erga reuelat-
um Euangelium.
non faciens, pluribus plagis vapulabit, quàm is, qui
eam ignorat, quàm horrible iudicium Domini cer-
uicibus nostris incumbere, & quàm tetras confusiones

errorum nobis expectandas esse existimamus? quòd ex tenebris plus quàm Aegyptiacis liberati, pro accensa Euangelij clarissima luce, non modò debitam gratitudinem Domino non præstamus, sed exemplo populi Israelitici, mannâ è cœlo multis annis mirabiliter saturatis animabus nostris, ad eam, tanquam cibum vilissimum, nauseare incipientes, secundū pruritus aurium suarum, novos Doctores magno desiderio quàm plurimi passim expetunt.

Quàm altas enim radices doctrina Euangelij in animis eorum egerit, qui cæteris meliores esse volunt, Epicuræa vita, cum summo contemptu Verbi & Ministrorum eius coniuncta, luculenter docet.

Propositio & argumentum Oratoris.

Cùm igitur in hæc, propter reuelatam doctrinam Euangelij felicissima, sed ob tetras secutas confusiones, tristissima tempora inciderimus, in quibus de tantis malis non diuinare amplius licet, sed oculis ea aspicere valeamus: operæ precium me facturum existimaui, si de horrendis istis confusionibus pauca dixerò, quas Dominus de summo pietatis Mysterio, in doctrina de Incarnatione Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, minatur. Deinde viam & rationem ex diuinis oraculis ostendemus, qua piæ mentes aduersus tetram illam confusionem se præmunire, & liberis atque nepotibus suis, de quorum salute potissimum agitur, strenui hortatores esse possint, ne incauti, & astutiâ nequissimi spiritus circumuenti, in horrendos illos errores seducantur. Et tandem etiam, quantum temporis angustia permittet, de multiplici vsu & fructu Incarnationis Filij Dei breuiter dicemus. Ex quibus omnibus, quanto studio animi nostri gratitudinem, & verbis, & sancta
con-

conuersatione, pro summo hoc, quod vniuerso humano generi contigit, beneficio, declarare debeamus, singuli facile cognoscent.

Quod igitur ad Incarnationis filij Dei Mysterium attinet, nemini ignotum est, quanto odio Satan, iam inde à temporibus primorum parentum nostrorum, se ei opposuerit: cum intelligeret, post tristem eorum lapsum, totius humani generis instaurationem in hoc vno & solo repositam esse. Quo nomine populo Israelitico, præ alijs omnibus gentibus, semper infestus fuit, in quo promissiones de tanto Dei beneficio conseruatæ sunt, donec, abolitis vmbrijs & figuris, ipse Messias natus, & Mundo exhibitus est.

Nolo aut hoc loco prolixè commemorare, quàm varias & multiplices insidias, post egressum ex vtero, infanti struxerit, cuius causa infinita multitudo infantium ab Herode crudelissimè necata est.

Taceo summorum pontificum in populo Israelitico contra Christum immane odium, qui huius Mysterij ignorantia à Sathana excæcati, Christum cruci affigi furiosè flagitarunt, quòd homo cum esset, Filium Dei se profiteretur.

Nihil etiam de Cherintho & Ebione dicam hæreticis, qui post ascensionem Christi in cœlum, ipsum diuinitate æterna spoliare conati sunt. Quibus Ioannes Euangelista se strenuè opposuit, & Euangelij sui narratione illorum impiam hæresin solidè refutauit. De quo Lutherus alibi scribit: In asserenda diuinitate Christi Ioannem Euangelistam adeò studiosum fuisse, vt singulis propemodum verbis, Christum Deum verum esse, dicere & notare voluerit. Quo nomine reliquis tribus

Odium Sathanæ inueteratum contra Mysterium Incarnationis Filij Dei.

Matth. 2.

Hæretici circa Incarnationem Filij Dei errantes.

Ioannes Euangelista propugnator Diuinitatis Christi.

Oratio de Incarnatione Filij Dei,

Euangelistis superior, à maioribus nostris Aquilæ comparatus est.

Arrius.

Nihil etiam de Arrio dicam hæretico, qui Cherinthi & Ebionis hæresin renouauit, & à Concilij Nicæni Patribus impij erroris & hæreseos conuictus & damnatus fuit. Nihil deniq; de Photino & Samosateno huius erroris socijs. Nihil quoq; de Marcione, qui humanitatem Christi oppugnandam suscepit, & in phantasma & spectrum conuertit. Quemadmodum & de Nestorio & Eutychete, quorū ille Idiomatū naturæ humanæ communicationem in persona Christi realem negans, unitatem personę in Christo dissoluit, & Naturas flagitiosè separauit: Hic verò, post ascensionē Christi in coelū, vnā duntaxat Naturā in Christo asseruisse, & humanitatē in diuinitatem prorsus absorptā esse tradidisse perhibetur.

Photinus
Samosatenus.
Marcion.

Nestorius, Eutyches.

Iudæi.
Turcæ.

Nihil de Iudæorum & Turcarum, hæreticorum nunc commemoratorum progenie, summa impietate & blasphemia dicam, qua statuunt: maiorem blasphemiam in Deum creatorem coeli & terræ committi non posse, quàm eam, qua Christiani dicunt: Hominem Iesum Christum, Mariæ virginis filium, Deum esse.

Zvingliani.
Caluiniani,
Iesuitæ.

Sed de Zvinglianis, Caluinistis & Iesuitis duntaxat loquemur, qui hoc nostro, in quod incidimus, seculo, non modò negant: Hominem esse Deum, sed insuper addunt: Nullā potentiā Dei hanc propositionē veram effici posse, si propria significatio terminorum, hoc est vocabulorum (Dei & hominis) in hac enunciatione de Christo (Hic homo est Deus) seruetur.

Hæresis Zvingli-
anorum & Cal-
uinianorum de
Christo.

Toto pectore ad hanc vocem vos omnes perhorrescere, auditores optimi, nihil dubito. Et sanè ego quoque nō minus perhorresco, quoties hæc in aduersario-
rum

rum nostrorum scriptis lego, & tristissimam faciem Ecclesiae intueor, quibus adeo blasphemi Doctores praeficiuntur, qui in verbis Euangelistae: Verbum caro factum est, necessario ad Tropum recurrere oportere docent, nisi quis in manifestam haeresin incidere velit, quem admodum in suo falso dicto Orthodoxo consensu Calviniani contendunt. Iesuitae vero, impietatis illorum focij, docent: Quod in hac propositione, (Homo est Deus) subiectum & praedicatum supponant pro eodem, hoc est, sub vocabulo (Homo) quod subiecti loco in hac enunciatione ponitur, secundum illorum opinionem, ponendus est Filius Dei. Ut propositionis huius haec sit sententia: Filius Dei est Deus, qui humanam Naturam sustentat & gestat.

In Orthodoxo consensu prima editione folio 18. 123. 196.

Haeresis Iesuitarum de Christo.

Quorum barbariem recens declinare volentes quidam Zvingliani & Calviniani, his verbis reddunt: Homo est Deus secundum Deitatem: Deus est homo, secundum humanitatem. Opinionis autem huius blasphemae ratio utrisque una est, quod disparatae species de se inuicem realiter praedicari nullo modo possint.

Calviniani Bremeenses.

Quapropter (quod auditu horrendum est) scribere non verentur: sicut per nullam potentiam Dei fieri possit, ut Bos sit asinus, sic etiam per diuinam potentiam effici non posse, ut Homo sit Deus. Quis autem miretur amplius, ex Calvinistis & Zvinglianis Arrianos & Mahometistas factos?

Cur ex Calvinianis facti sint Arrianis & Mahometistis.

Qua ratione autem Sathan ipsos eò impietatis perduxerit, operae precium est cognoscere.

Primum enim de coena Domini duntaxat inter Lutherum & Zvinglium controversia fuit. Vbi Zvinglius acriter contendit, cum haec verba, quò ad sententiam, aequi-

Quomodo ex Calvinianis fiant Arriani & Mahometistae.

Zvuinglius in sub-
sidio.

Fundamenta do-
ctrinæ Zvuinglij.

Quomodo ad dis-
putationē de cō-
municatione Idio-
matum peruentū
sit.

æquipollean: Hoc est corpus meum: & panis est corpus Christi: panis autem nulla ratione possit realiter corpus esse aut dici, ideoque corpus Christi significare tantum docuit. Et cum in disputatione Bernensi à scriba ciuitatis vrgeretur, vt aliquo saltem illustri testimonio scripturæ id confirmaret, per somnium à quodam monitore testatur sibi reuelationem factam: Ater verò, an albus fuerit, non amplius meminerit, qui cum ad caput 12. Exodi ablegauerit, vbi legatur: Agnus est phasæ Domini, quod tamen nusquam eo loco reperitur.

Postquam autem hæc vanitas refutata fuit, ad principium Philosophicum se conuertit: Quòd vnum & idem numero corpus, simul & semel in diuersis locis præsens esse non queat. Quod deinceps ad corpus Christi quoque accommodauit, & quàm plurimis deinceps scripturæ sacre testimonijs demonstrare conatus est, corpus Domini vno duntaxat in loco simul & semel semper fuisse, secundum hæc dicta: Surrexit, & non est hîc: Relinquo Mundum: Item, Ascendit ad cœlos, inde venturus est: & similibus, ne rationis magis iudicio, quàm oraculis diuinis niti videretur.

Inde ad disputationem de communicatione proprietatum Diuinitatis peruentum est, in qua vrserunt: Propria vnus naturæ alteri realiter communicari nullo modo posse. Cum igitur solius Diuinitatis proprium sit, simul & semel in pluribus locis, vel vbiq; esse: ideoque humanæ naturæ hanc Maiestatem, Diuinitatis propriam, communicari non posse acriter contenderunt: Aliàs nõ amplius Deitatis propriam esse, & humanam naturam cum diuina misceri, adeoq; in Deitatem conuersam iri, quod Eutychianum sit asserere: Ideoq; vo-
cétenus

cétenus & verbótenus duntaxat assumptæ Naturæ in Christo hanc Maiestatem communicari, pertinaciter contenderunt.

Postquam verò & hæc vanitas confutata est, tandem ad cultum adorationis religiosæ peruentum est, à qua humanitatem prorsus remouendã contenderunt. Siquidem hic honos solius Deitatis proprius existat, & quòd sine horribili blasphemia & Idolatria nulli creaturæ, adeoq; nec assumptæ naturæ humanæ in Christo, etiam in ipsa Vnionem permanente & considerata, tribui possit. Ideoq; nomini Iesu, neque genua flectenda, neq; caput aperiendum docent, ne Idolatria committatur.

Blasphemus error Calvinianorum de adoratione Christi.

Quibus omnibus assertis, quasi extra omnem controuersiam posita essent, tandem eò perueniunt, vt confidenter affirmare audeant, & audacter pugnent: propositionem illam: Hic homo est Deus, figuratam esse, nec sine tropo intelligi posse aut debere, sed necessario ad tropum recurrendum esse, ne vocabulo (Homo) verus homo, sed Filius Dei intelligatur. Cùm enim disparata sint, Deus & homo, Deum nunquam hominem, aut hominem Deum esse, aut de se inuicem prædicari posse, acerrimè contendunt.

Error de Incarnatione Filij Dei.

Quis autem adeò indoctus & imperitus est, qui non intelligat, quid sibi velit, aut quò tendat Sathan? Si enim in hac assertione, (Homo est Deus) concessum fuerit, à vocabulo (hominis) humanitatem remouendam, & eius loco vocabulum (D E V S) reponendum esse, vt sensus sit: Filius Dei est Deus, qui sustentet humanam naturam: Item, cùm dicitur: Hic homo est omnipotens, quòd à vocabulo (hominis) remouenda sit humanitas, neq; intelligendus verus homo, qui con-

Scopus Sathanæ in disputatione Zvinglianorum & Calvinianorum, de communicatione Idiomatum.

C stat



stat corpore & anima, sed loco eius ponendum vocabulum (D E V S) vt horum verborum, hic Homo est omnipotens, sit sensus: Filius Dei est omnipotens, qui sustentat humanam Naturam. Item, si dicatur: Hic Homo est religiosa adoratione inuocandus: per hominem, non verum hominem, sed Deum duntaxat, intelligendum, cui soli hic honos debeatur. Ideoque huius enunciationis (Hic homo est adorandus) hic sit sensus: Filius Dei est adorandus, seu Deus est adorandus, qui hunc hominem assumptum sustentat, Humanitatem autem ab hoc cultu procul remouendam esse, quæ neque Deitatis, neque omnipotentia, neque cultus religiosæ adorationis capax & particeps esse, eique hæc Deitatis propria sine blasphemia tribui non possint, quid quæso præter nomen nudi hominis Iesu Mariæ filio relinquatur? de quo etiam si dicatur: quòd hic Homo sit Deus, omnipotens, & religiosè adorandus, id tamen duntaxat per ἀντίθεσιν, & permutationem vocabulorum, verbótenus, & vocétenus fieri. Re ipsa enim nihil horum, sine blasphemia, humanitati Christi, etiam in ipsa Vnione personali permanente & considerata, tribui posse, si per hominem, verus homo, etiam in ipsa Vnione personali intelligatur.

Lampertus Daneus.

Quid verò impedit, quò minus Doctores hi omnes exemplum Syluani, & Adami Neuseri, Theologorum Heidelbergensium, aliorumq; plurimorum huius sectæ hominum secuti, se cum Turcis & Mahometistis apertè coniungant? Si enim hic homo assumptus (sic enim loquuntur Orthodoxi plerique Patres omnes, ne quis nobis ignorantiam vocabulorum concreti & abstracti

tracti obijciat) vocétenus & verbótenus tantum est Deus, omnipotens, adorandus, quid cum Turcis & Iudæis amplius de voce & verbis duntaxat litigant? cùm aduersariorum confessione propriâ, inter ipsos de re constet: videlicet Hominem (propria significatione vocabuli sumpta) non posse Deum omnipotentem esse, & religioso cultu, sine Idolatria & manifesta blasphemia, adorari: Item, prædicationem illam, si de naturis intelligatur, merè verbalem esse.

Hæc est κατὰ σπουδὴν certaminis de cœna Domini in Ecclesiâ introducti, hoc voluit Sathan, hoc meditatus est ab initio, cùm telam hanc inciperet texere in exordio huius controuersiæ. De hac Lutherus ab initio duntaxat diuinare cœpit, cuius hæc sunt verba: Metuo autem, Diabolum aliud in hoc certamine quærere, quis enim inter nos à Diabolo tutus est? videlicet cùm sciat, Christum in scriptura sacramentum appellari 1. Timoth. 3. cò tendere ipsum, vt hominibus persuadeat, figurata verba esse, cùm dicitur, Christus est Deus, & Homo: aliquid enim illū meditari necesse est, quoniam non sine causa eiusmodi argutijs studet: Et iterum: Videbis (Lector) cùm hac via incedant (Zvingliani) quòd verbū Dei non volunt simplici fide honorare, aut secundum literam accipere, sed Sophistica ratione, & suis subtilitatibus metiri, & eidem dominari, tandem
 EO PERVENIENT, quòd NEGATURI SVNT, CE
 CHRISTVM ESSE DEVM. Nam rationi humane CE
 tam stultè sonat, si dicitur: Homo est Deus, quàm cùm CE
 dicitur: panis est corpus, & quia hoc negant, citò & CE
 confidenter alterum quoq; negabunt. Hoc quærit Sa- CE
 than, qui eos ex scriptura ad rationē humanā adduxit, vt CE

Catastrophe certaminis tragici de cœna Domini.

Lutherus in confessione Maiore de cœna Domini.

Vaticinia Lutheri de spiritu Zvingliano.

Lutherus in secunda parte contra cœlestes prophetas.



» omnes veteres hæreses denuò introducat. Mirabilia
 » enim videbis, quàm sapiens ratio humana sit futura,
 » præsertim in vulgo, quod dicturum est: Deitas & Hu-
 » manitas sunt disparata, infinito modo separata, sicut æ-
 » ternum à temporali, quomodo ergo hoc illud alterum
 » esse aut dici potest: Homo est Deus? Hoc enim mo-
 » do etiam oporteret nos dicere: Temporale est æter-
 » num, & Mortale est immortale, & similia. Quemad-
 » modum hîc in capite Carolstadij de Sacramento argu-
 » mentatur. Tùm dextrè & præclarè rem explicatam ef-
 » se sibi persuadebit. Hactenus Lutheri verba propemo-
 » dum ante annos sexaginta scripta. Hæc in aduersarijs
 » nostris iam pridem impleta esse & impleri quis ignorat?
 » qui hæc confidenter docent, & publicis scriptis nunc
 » propagare student. Ea quisquis non intelligit, stu-
 » pidus est, qui verò illis assentitur, impius, Turca-
 » rum & Iudæorum socius est, quidquid tandem de
 » vna singulari persona CHRISTI cum Nestorio
 » narret.

Confutatio Impij
 erroris Calvinista-
 rum de Incarna-
 tione Filij Dei.

Zyuingliana &
 Calviniana expli-
 catio verborum
 Ioannis: Verbum
 caro factum est.

Sed quomodo solennitas & celebritas præsentis
 festiuitatis cum impia & execranda hac opinione & do-
 ctrina consentit? de qua Ioannes Euangelista scribit:
 Verbum Caro factum est: quod Concilij Nicæni Pa-
 tres reddiderunt: DEVS HOMO FACTVS
 EST?

Nam (secundum Calvinistarum & Iesuitarum opi-
 nionem) propter naturæ immutabilitatem Deus nihil
 fieri potest: Quapropter si Deus homo factus est,
 per tropum figuratè factus dici necesse est, vocéte-
 nus & verbótenus, vt pro vocabulo (Dei, seu Ver-
 bi) Homo sit reponendus, cuius hic sit sensus: Homo
 factus

factus est, qui à Deo sustentatur & gestatur: Ipse autem Deus nequaquam realiter & verè Homo factus est. Egregij sanè Sacræ Scripturæ interpretes Zvingliani & Calviniani cum erroris sui socijs.

Num verò in verbis Euangelistæ: Verbum caro factum est, Caro non humanam naturam, sed Deitatem significat? Sed inquit: Verbum non est mutatum in carnem. Verùm ad similem modum Nestorius Mariam Matrem Dei dicere noluit, quoniam Deitas in ipsius vtero exordium suum non sumpserit? An verò Verbum realiter caro fieri non potuit, nisi in carnem assumptam mutaretur & transfret? Quis igitur tam cæcus & mente captus est, qui non videat, ab his peruersis doctoribus & Ecclesiarum perturbatoribus INCARNATIONEM Filij Dei apertè negari, Vnionem personalem solui, & duos filios fingi: alterum Deum, alterum hominem?

Effugia Calvinianorum.

Zvingliani & Calviniani apertè Nestoriani.

Cùm igitur nemo tam rudis, & rerum sacrarum adeò ignarus sit, qui impietatem huius doctrinæ non intelligat, agitè quæso, de tanto Mysterio ex verbis Ioannis Euangelistæ: VERBUM CARO FACTVM EST, pauca quædam audiamus, quibus hæc impietas apertè confutatur, & piæ mentes in vera & saluifica agnitione Christi confirmantur. Ac primùm omnium hoc loco per (VERBUM) non sonum aliquem transeuntem, aut in Dei voluntate cogitatum, sed ipsum Dei verum, naturalem, & æternum Filium intelligi, Euangelista apertis verbis testatur, & demonstrat, dum creationem omnium rerum Verbo tribuit, quod solius Dei opus est. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil.

Vera & genuina explicatio verborum Ioannis: Verbum Caro factum est. Quid VERBUM significet. Ioan. 1.



Quid nomine
CARNIS intel-
ligatur.

Similiter quoq; vocabulo (CARNIS) nō corpus dun-
taxat, sed totus homo, anima & corpore cōstans, phrasi
scripturæ vsitata, intelligitur. Ideoq; Patres Concilij Ni-
cæni in Symb. suo, hoc ipsum Euangelistæ dictū: Verbū
caro factum est, piē reddiderunt: DEVS HOMO EST FA-
CTVS. Hīc nihil Tropiū, nihil figuratum, in vocabulis,
Filiū Dei, aut CARNEM significantibus: sed simplex & li-
teralis sensus singulorū vocabulorū cōstanter retinen-
dus est. Nā Verbū Caro, hoc est, Filius Dei verus & æter-
nus, quod prius non erat, verē & realiter factus est, vi-
delicet caro, hoc est, verus homo: Et vera caro, hoc est,
integrā natura humana est, de qua Ioannes loquitur.
Factum autem est Verbum Caro, non quōd Naturam
Verbi, hoc est, Deitatem suā amiserit, & in carnē con-
uersum sit. Hunc enim sensum verba Euangelistæ neq;
continent, neq; exprimunt, cuius causā fanatici isti ho-
mines hīc tropum petulanter fingunt. Siquidē Euange-
lista non dicit: Verbū in carnē transmūtatum est: sed in-
quit, Verbū Caro factum est. Idq; non figuratē, per tro-
pum, vocētenus, verbōtenus, per ἀντίθεσιν & per muta-
tionem vocabulorum, sed verē & realiter factum est.

Vanum latibulum
erroris in vocabu-
lis concretis.

Verbum vocabu-
lum abstractum.

Neq; hīc latibulū erroris huius Patroni quærere pos-
sunt, quod sub vocabulis cōcretis repositū se habere pu-
tant. Verbū. n. hoc loco nihil aliud, quā ipsam perso-
nā Filij Dei significat, quæ fuit & substitit in Natura Di-
uinitatis, priusquā caro assumpta esset. Ideoq; VERBUM
non Filiū Dei iam incarnatū, sed incarnandū significat,
videlicet personā τὸ Λόγος, respectu solius Diuinitatis suæ.
Nam si ante conceptionē è S. S. in vtero virginis, incar-
natū fuisset Verbū, per Incarnationē caro non fieri po-
tuisset. Nondum ergo incarnatū Dei Verbū factum est
caro, & Filius Dei, qui nondū fuit homo, factus est ho-
mo, quod prius non erat. Et

Et extra controuersia est, q̄ vox seu appellatio (carnis) sit vocabulū abstractum, non personā per se subsistentē, sed naturā humanā significans. Caro. n. seipsā persona nunquā fuit, neq; Filius Dei incarnatus fuit, priusquā eā assumeret. Ex quo manifestum est, in verbis Euāgelistæ, Verbum Caro factum est, neq; in subiecto, neq; in prædicato tropum inesse posse, sed vocabula (verbum & Caro) res disparatas, propriè, sine omni tropo, significare, pro singulorum natura, & substantia, & proprietatibus, quæ singulis per se conueniunt.

Caro vocabulum abstractum.

Multò verò minùs in vocabulis (FACTVM EST) Tropus inesse potest, sed ea quoq; in propria & literali significatione accipiuntur, quibus demonstratur: Verbum VERE & REALITER hoc factum esse, quod priùs non erat, videlicet Caro, hoc est, verus homo.

Execranda ergò impietas, & Incarnationis Verbi manifesta abnegatio est, quā aduersarij in Orthodoxo suo consensu impudenter affirmare audent, verba hæc Euāgelistæ: VERBUM CARO FACTVM EST, figurata esse, & in illis NECESSARIO ad tropum recurrendum esse, nisi in manifestam hæresin incidere velimus.

In Præfatione Apologetica ad Ecclesias Germanicas.

Quod, ne quis illis inconsideratè excidisse existimet, id aliquoties in suo iam dicto Cacodoxo cōsensu repetunt, & inculcant, & hoc nomine nos miserè exagitant:

In Orthodoxo Consensu.

An vnquam (inquiunt) PRO VERO defendere cum Luthero audebunt, in hac locutione: Iste homo est Filius Dei, per subiectum (Iste homo) non ipsummet Filiū Dei, sed assumptæ humanitatis Naturam intelligi? sicut hoc ista in consideratè Lutheri dicta manifestè innuere videntur? An ignorant, aliud esse in Christo hypostasim & personam, quæ est & dicitur homo, & aliud Naturam quā est homo? At in superiore ista:

Fol. 18.
Pag. 2.
“
“
“
“
“
“
“

„ ista locutione per subiectum Homo, NON ILLUD,
 „ quo Christo homo, sed quod in Christo homo est, hoc
 „ est, hypostasis, & persona intelligitur. Hæc autem est
 „ ipse Filius Dei, assumptam & subsistentem in se habens
 „ humanitatem, quâ homo est. Cùm itaque hinc lique-
 „ at, propter eiusdem hypostasis subiecti & prædicati
 „ Identitatem, Hominem Christum esse Filium Dei,
 „ PRÆDICATIONE VERE IDENTICA, QVA VIDELI-
 „ CET IDEM DE SEIPSO, hoc est, Filius Dei de sua hy-
 „ postasi, ab altera & assumpta Natura appellata, propriè
 „ & essentialiter prædicatur: NULLO MODO tanquam
 „ Orthodoxè dictum admitti, multoq; minùs defendi
 „ potest, quod Lutherus contentionis seductus feruore
 „ scribit: Inter Deum & hominem, longè maiorem sub-
 „ iecti & prædicati diuersitatem & repugnantiam esse,
 „ quàm inter panem & corpus Christi, inter bouem &
 „ asinum. Hoc enim (vt omnes Docti iudicant) sicut in
 „ pane & corpore Christi, in Boue & Asino, velut rerum
 „ inter se disparatarum & repugnantium, & quarum in
 „ subiecto & prædicato mutua contradictio est: Ita in
 „ homine & DEO suam cuiq; indicat, necessarioq; præsup-
 „ ponit hypostasin & subsistentiam. Quod nemo, nisi
 „ Nestorianus quispiam, ausus est affirmare & dicere. Ha-
 „ tenus Orthodoxi, sic falsò dicti, Zvinglianorum &
 „ Calvinianorum consensus verba. Vbi non modò
 „ hæc impia doctrina apertè asseritur, videlicet, in pro-
 „ positionis huius subiecto: Hic homo est Deus, vocabu-
 „ lo (HOMINIS) nequaquam verum hominem intelli-
 „ gendum, & in propria significatione vocabulū (homi-
 „ nis) accipiendum, sed insuper ratio ostenditur, quahoc
 „ demonstrare nituntur. Quia (inquiunt) prædicatio est
 „ Identica, qua idem de seipso prædicatur, videlicet, Fi-
 „ lius

Vana confirmatio
 Erroris Caluina-
 norum de incarna-
 tione Filij Dei.

lius Dei de sua hypostasi. Cùm autem Homo & DEVS non sint IDEM, Ideoq; sub vocabulo (HOMO) non posse aut debere intelligi verum hominem assumptum, sed hypostasim Filij Dei, vt idem de seipso prædicetur, videlicet, quòd Filius Dei sit Deus. Appellari autem, hoc est, denominari quidem hanc hypostasim à natura assumpta affirmant, vt dicatur esse homo, & per consequens: Hic Homo est Deus: inde autem nequaquam sequi, Hominem esse Deum. Ideoque nullo modo admitti & defendi posse, quod Lutherus feruore contentionis scilicet seductus, scripserit, in hac propositione de Christo: Hic Homo est Deus, inter hominem & Deum longè maiorem in ratione subiecti & prædicati diuersitatem & repugnantiam esse, quàm inter Panem & Corpus Christi, & inter bouem & asinum.

Scriptit alicubi vetustissimus Ecclesiæ primitiuæ Doctor Irenæus, de sui seculi hæreticis Valentinianis, quòd illorum errores in lucem producere, sit refutare. Idem nos de nostri seculi hæreticis hisce similiter & verè dicere possumus, qui inuolucris & integumentis verborum & phrasium ambiguarum suos errores ita abscondunt, vt non statim, nec facilè ab omnibus intelligi possint. Quod in hac controuersia conspicitur.

Hoc enim apud omnes mediocriter eruditos confessum & indubitatum est: Hominem de Deo tam non prædicari posse, quàm bouem de asino, si extra Vnionem Deus & homo, quisq; in sua hypostasi & subsistentia intelligantur. Deus enim & homo, tanquam res disparatæ & repugnantes, eam contradictionem inter se habent, vt separatim, diuisè, seu, vt scholæ loquuntur, in abstracto, alterum de altero verè & realiter prædicari non possit.

D. fit.

Irenæi dictum.

Quomodo principia philosophica malè ad Mysterium incarnationis accommodentur.



fit. Si enim Deus est, ergò non homo, & vicissim, si homo est, Deus non est.

Ab his disparatis, & proprietate naturæ sibi inuicè repugnantibus *SEPARATIS*, de duabus naturis in Christo personaliter vnitis, & earundem prædicatione mutua de se inuicem in concreto, seu propter illā vnionem, falsò argumentantur Calvinistæ: Etsi (inquiunt) Deus personaliter vnitus sit assumpto homini, quia tamen quælibet natura suam retinet essentiã, substantiã & proprietates, & prædicatio sit Identica, qua idē de se ipso prædicatur, cùm dicitur: Hic homo est Deus: ideo si vocabuli (Hominis) propria significatio retineatur, tam homo de Deo non prædicari potest, quàm bos de asino. Hac. n. prædicatione docēt in suo Cacodoxo cōsensu, duas hypostasēs præsupponi, quod Nestorianū sit.

Refutatio huius
vanissimi argu-
menti.

Duplex autè & palpabilis error hīc manifestè cōspicitur. Primus, quòd tam confidenter affirmare audent: Si prædicatio non sit Identica, cùm dicitur: Hic homo est Deus, duas hypostasēs & subsistentias poni, quarum altera sit Dei, altera hominis.

Duæ Naturæ, non
duæ hypostasēs in
Christo.

Etsi enim duas res disparatas intelligimus, naturã & proprietatibus distinctas, & inconfusas, cùm dicimus: Hic homo est Deus, eas tamen non separatis subsistentijs intelligimus, sicut bos & asinus, quorum vterq; suam subsistentiam propriam, & ab altero separatam habet: sed vnã hypostasin vtriusq; naturæ intelligimus, quòd assumpta natura in hypostasi Filij Dei subsistat. Propter quam subsistentiã, hypostasis, vel personæ vnitatē, Deus verus de vero homine, absque omni tropo, in vocabulis (Dei) aut (hominis) verè & realiter prædicatur, cùm dicitur: Hic Homo est Deus:

Quæ propositio nequaquam & *NULLO MODO EST*
IDEN-

IDENTICA, in qua idem de seipso prædicetur, sicut falso, impiè & hereticissimè, Calviniani, Zvingliani, cū suis socijs Iesuitis argumentantur, sed res disparatæ propria significatione vocabulorum (Dei & Hominis) expressæ de se inuicem, verè & realiter dicuntur, quòd videlicet verus homo assumptus, sit verè Deus, non Identitate naturæ, sed assumptione in Deum, sicut Athanasius loquitur, hoc est, personali participatione Deitatis, quæ cum Filio Dei vna persona est.

Hic homo est Deus: non est prædicatio Identica, sed personalis.

Et pudeat huius Cacodoxi cōsens. authores & Compil. à suo præceptore Cal. dissentire, qui nō erubuit scribere: Christū etiā Filiū Dei ESSE secundū humanitatē.

Cal. in Institutionibus.

Neque verò hæc nuda appellatio aut denominatio duntaxat est, de qua Orthodoxus Consensus nugatur, Nestoriana illa, qua homo solū nominetur Deus, & Deus homo denominetur, RE IPSA autem non sit: absit, inquam, à nobis tanta impietas, qua id cogitare, nedum affirmare & credere audeamus.

Sed hac appellatione & denominatione enunciatur Mysterium inenarrabile & ineffabile, quo res disparatæ ita vnitæ sunt, vt de se inuicem realiter prædicentur, & simul Maiestas & gloria describitur, in quam Natura humana per assumptionē in vnitatem personæ Verbi exaltata est: In qua explicanda, Prophetæ & Apostoli tanto studio, tamque diligenter elaborarunt. In primis verò Apostolus Paulus, optimus huius enunciationis interpres est, cū inquit: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Cui non satis est dicere, Deitatem, aut plenitudinem Deitatis habitare in Christo, sed addit vniuersalem particulam: Omnis plenitudo Deitatis in ipso inhabitat. Et quod vocabulo (IPSO) Christū, quatenus est homo, intelligat, Verba, quæ proximè

Hic homo non duntaxat appellatur, sed EST VERE DEVS.

Confirmatio Doctrinæ: quòd Hic homo sit Deus, Col. 2.

Col. 1.

præcedunt, & sequuntur in utroq; loco, manifestè docent. Ipse est (inquit) caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis (quod equidem de Christo, non nisi secundum humanitatem intelligi potest) ut sit, in omnibus principatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, SIVE QUÆ IN TERRIS, SIVE QUÆ IN COELIS SVNT, Et cap. 2.

Col. 2.

Videte (inquit) ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi, & non secundum Christum: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis, circumcissione non manu facta. Quæ omnia de Christo secundum humanitatem assumptam, & non de Diuinitate accipi possunt.

Quomodo plenitudo Deitatis in Christo corporaliter habitat.

Ac ne quis hoc Identicè, secundum errorem aduersariorum nostrorum intelligat, quasi plenitudo Deitatis in seipsa habitare dicatur, addit Apostolus vocabulum (corporaliter) quod nequaquam ad diuinitatis essentiam referri potest, cum neq; Deus ipse, neq; plenitudo eius, sit corpus, aut quiddam corporale, ut alterum in altero corporaliter inhabitare dici possit, sed de humanitate corporea assumpta dicitur, in qua hæc plenitudo corporaliter habitare dicitur. Sicut vno ore Patres, Ecclesiæ veteris purioris doctores plerique confessi sunt, & hanc ipsam inhabitationem, peculiaribus phrasibus explicarunt, quod videlicet hæc plenitudo omnis Deitatis in carne, in natura assumpta, in humanitate, in corpore, tanquam suo proprio templo habitat.

Hæc

Hæc diuinitatis & omnis plenitudinis eius participatio seu communicatio in humanitate assumpta, per vnionem personalem facta, non est causa, cur Filius Dei identicè dicatur & sit Deus. Vt enim esset Deus, non opus fuit hac participatione seu inhabitatione in humanitate facta, sed causa est, cur homo assumptus (sic enim purioris Ecclesiæ Patres vt plurimum, Augustinus in primis, inuitis omnibus Zvinglianis & Calvinistis, loquuntur) non modò dicatur, sed reuera sit Deus. Non creata aliqua noua Deitate (sicut improbè & flagitiosè nobis affingunt Calvinistæ) sed ipsius diuinitatis æternæ participatione seu communicatione. Non autem essentiali illa, tribus Diuinitatis personis solùm communi, sed personali communicatione, in hypostasi Filij Dei facta. Quæ cum sit ipsa plenitudo omnis Deitatis, in ipsa quoque assumpta Natura, omnis huius plenitudinis diuinitatis particeps facta est. Quam maiestatem nos vno vocabulo OMNIPOTENTIÆ complectimur. Omnipotentem enim cum dixeris, omnia dixisti, quibus diuinitatis infinita Maiestas explicatur.

In Christo non est creata Diuinitas.

Communicatio Diuinitatis in humanitate Christi, non essentialis, sed personalis est.

Sic idem Apostolus omnes thesauros sapientiæ & cognitionis absconditos esse dicit in Christo: non secundum Zvinglianorum & Calvinistarum falsam interpretationem, quòd hi thesauri in sola eius diuinitate absconditi sint, de quibus humanitati assumptæ, tantum communicet, quantum ipsam scire oporteat, & ad officij sui partes implendas opus, & quantum earum creatura capax esse possit, vt homo Christus, hoc est, secundum humanitatem suam, non omnia sciat, quæ Deus nouit. Imò (quod auditu horrendum est) Christum secundum hominem, nondum plenam Dei, &

Col. 2.

Theologorum Heidelbergensium blasphema doctrina de homine Christo.

D 3

operum



operum Dei cognitionem habere, apertè negant, sicut Heidelbergensis colluies blasphemus ore & calamo in publico scripto impudenter euomuit. Sed in humanitate assumpta intelligit Apostolus, cui hos thesauros communicatos, & in ea absconditos esse testatur, quòd videlicet Natura humana in se finita existens & permanens, infinitæ tamen sapientiæ & scientiæ particeps facta sit.

Infinita potentia
corpori Christi
communicata est.

Dan. 7.

Huic humanitati assumptæ, æterna quoq; & infinita potentia communicata & donata est. Sicut in Daniele Propheta scriptum legimus: Aspiciebam ego (inquit Daniel) in visione noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit illi potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguę ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Ioan. 17.

Nihil aut creatum aut terrenum sub æterna hac potestate intelligi, Christus ipse in sua prece Ioan. 17. apertè testatur, cum inquit: Pater, glorifica me, **EA GLORIA**, quã habui priusquã Mundus fieret, apud te. De

Matth 28.

hac potestate Matth. 28. loquitur, cum inquit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. De eadē potestate

Phil. 3.

Apostolus quoq; loquitur, cum ait: Deus exaltauit illum, & donauit (ἐξ᾿ ὑψιστοῦ) illi nomen, quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiū, terrestriū, & inferorum. Item: Et constituit illum ad

Eph. 1.

dextrā suā in cœlestibus, supra oēm principatū, & potestatem, & virtutē, & dominationē, & omne nomen, quod

Psal 8.

Heb. 2.

1. Cor 15

nominatur, nō solūm in hoc, sed etiā in futuro seculo. Item, constituiisti eum super omnia opera manuū tuarum

rum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues
vniuersas, insuper & pecora campi, volucres coeli, & pi-
sces maris. Quibus gubernandis non sufficiens esset,
quantumuis magna creata potestas, sed infinita poten-
tia, ad coeli, terræ, Maris & infernorum gubernationem
requiritur. Quæ soli filio hominis, Christo videlicet
Mariæ filio, donata est.

Hæc humanitatis in Christo per Filium Dei in vni-
tatem personæ assumptio & exaltatio, causa est, quòd
solus hic assumptus homo (propria significatione vo-
cabuli Hominis retenta) non figuratè, non per tropum,
non per ἀλλοίωσιν, nō per ἀντιθέσιν vocabulorū, nō vocé-
tenus aut verbótenus, (vt Zvuingliani & Calvin. impiè
garrunt) sed verè & realiter, & sit, & appelletur Deus.

Assumptus Homo
quomodo Deus
sit.

Hæc humanitati Christi facta diuinæ Maiestatis cō-
municatio efficit, vt Christo, qua homo est, omnes
creaturæ magis præsentés sint, & ipse creaturis, quàm
creaturæ sibiipsis præsentés sint, aut esse possint.

Quomodo Hu-
manitati Christi
omnes creaturæ
præsentés sint.

Modus enim præsentiae non est physicus aut loca-
lis, quo Natura humana in omnia loca extendatur, sed
supernaturalis. Quemadmodum & λόγος ipse, neque
physicè aut localiter, neq; etiam sicut Angelici spiritus,
rebus creatis adsunt, sed, vt Augustinus loquitur,
DEVS IN SE IPSO est vbique, ideoque etiam in se-
ipso res creatas præsentés habet, qui modus præsentiae
diuinitatis in omnibus rebus creatis singularis & inef-
fabilis est.

Quomodo Deus
sit vbique.

Aug. Epist. 57. ad
Dardanum.

Cùm igitur Humana natura à λόγῳ in seipsum, hoc
est, in vnitatem personæ sit assumpta, inde manifestū est,
quòd etiam in λόγῳ omnia præsentissima habeat, &
præsentissima omnibus rebus creatis adsit. Neque verò
pro-

Quomodo hu-
mana Natura
Christi, omnibus
rebus præsentis sit.

propterea vlla humanæ naturæ aut corporis eius diffu-
sione vel coëxtensione opus est, quam nostris Zvui-
ngliani & Calviniani improbè affingunt. Cùm enim λόγος
γος ipse neque extendatur, aut diffundatur, vt creaturis
adsit omnibus vbique præsens, insanum esset, hoc de af-
sumpta natura cogitare, quemadmodum etiam nihil
horum de corpore aut humanitate Christi vnquam so-
mniauimus.

Eph. 4.

Hinc illud Apostoli apertissimum dictum: Ascen-
dit super omnes cœlos, vt omnia impleret: quod nulla
interpretatione indiget. Vbi non de impletione vatici-
niorū scripturæ agitur, sed de locis, *S V R S V M D E O R -*

Matth. 18. 28.

S V M, & eorum impletione apertè differitur. Hinc & il-
læ dulcissimæ & consolationis plenissimæ promissiones
promanant: Vbi sunt duo vel tres congregati in meo
nomine, *I N M E D I O* ipsorum sum. Item, ego sum
vobiscum omnibus diebus, vsq; ad consummationem
seculi. Quæ præsentia singularis est & gratiosa, in qua si-
militer, sicut in illa vniuersali præsentia, nulla corporis
seu humanitatis Christi, quam aduersarij nostris affin-
gunt, coëxtensione opus est.

Præsentia corpo-
ris & Sanguinis
Christi in cœna
Domini fidelibus
creditu facilis.

Hæc quisquis firmiter crediderit, sicut omnibus
pijs credenda sunt, cùm illustria & expressa scripturæ te-
stimonia habeant: Is de præsentia corporis & sanguinis
Christi in sacra cœna minimè sollicitus erit, quæ sacra-
mentalibus est, in qua corpus & sanguinem suum com-
municat, & operatur, quod extra huius vsum non
facit.

Si enim certum & indubitatum est, quòd assumpta
Natura humana, in Filij Dei persona subsistat, & cum ea
vna persona omnis Maiestatibus, diuinitatis realiter parti-
iceps

ceps facta sit: Filius Dei autem in *SEIPSO* (quod studiosa Iuventus diligenter obseruet) omnia præsentiā habeat, & sine locali diffusionē omnibus rebus creatis vbique præsens sit, quomodo quæso de præsentiā humanitatis Christi quisquā dubitauerit, quòd ipsa quoq; in *Λόγῳ* omnibus præsens sit? & pro sua voluntate in singulis operetur? Horrendæ igitur, abominandæ, execrandæ atque detestandæ sunt, & blasphemæ voces, quibus Calviniani & Zvingliani hanc humanæ naturæ communicatam diuinam maiestatem, hæreticam Matronam, portentum, monstrum, Dianam mammatam, nouum monstrum Marci, Marcionis, & Valentini, nouam meretriculam, Deam, & Idolum Sueuicum, excrementum Diaboli, diabolicum commentum, Spectrum, phantasma, in publicis scriptis appellant.

Blasphemie
Zvinglianorum
& Calvinianorum
in Maiestatem ho-
minis Christi.

Quæ omnia, vtcunq; horrenda & blasphemata sint, non tamen in aduersarijs nostris mirandum, quòd in humanitatem Christi, in sedem Dei propriam exaltatam, huiusmodi euomere audeant, cùm in suo Cacodoxo consensu, non semel, sed aliquoties apertè fateantur, se de corpore Christi, quod verum & naturale corpus Christi esse testatur, non posse *ALITER LOQUI,*

In orthodoxi con-
sensus præfatione
a, b. pag. 2.

QUAM CORPORIS NATURA IUBET.

Hoc enim quisquis persuasus est, & firmiter credit, quis mirabitur, cum ab eiusmodi blasphemijs non abhorre? Natura enim corporis nunquam iubet, de corpore Christi pronuciare & celebrare, quæ supra eius Naturam sunt. In eam igitur naturam si respiciamus, simul omnia iubebit negare, quæ in S. Scriptura de humanitate Christi prædicantur, quòd videlicet semen Mulieris sit contritum caput serpentis: quòd allatu-

Falsum præsup-
positum Caluina-
norum.

Gen. 3. 22 10. 6.
Phil. 2.

E rum

rum sit benedictionem omnibus gentibus: quòd sit cibus aeternae vitae: quòd omnibus creaturis in hoc & futuro seculo dominabitur. Quorum nihil natura corporis iubet.

Cur Calviniani
nobis Cyclopicam
Creophagiam
obijciant.

Vnde mirandum quoq; non est, quòd nobis cyclopicam κρεοφαγίαν in cœna Domini perpetuò obijciant, quū realem communicationē virtutis viuificandi (quæ solius Dei propria est) in assumpta carne Christi nō modò apertè negent, sed etiam pertinaciter oppugnent. Ex qua sola caro Christi habet, quòd sit viuifica, & corpus eius in hoc Mysterio verus & realis cibus aeternae vitae.

Sic Natura corporis non iubebit credere: hoc corpus finitum, cum spiritu & persona infinita Filij Dei, hypostaticè vnitum esse. Hoc enim corporis natura non iubet, cùm secundum Naturam, finiti ad infinitum, nulla sit comparatio, proportio & vnitio.

Sic Natura corporis non iubebit credere: corpus Christi, quo tota humana Natura intelligitur, religioso cultu, qui soli Deo debetur, adorandum esse.

Pandora errorum
dogma Zyuinglianum.

Ex quibus omnibus patet, quanta impietas sub dogmate Zyuinglianorū & Calvinistarum lateat, & nunc confertim erumpat. Quo etiam Filij Dei Incarnationē, in qua vniuersa salutis nostrae aeternae ratio consistit, tanquam figuratam Ecclesie Dei propinare conantur, dum acriter contendunt: in verbis Euangelistæ: **V E R B U M C A R O F A C T U M E S T**, ad tropum necessariò recurrendum, nec veram enunciationem esse disputant, cùm dicitur: Hic homo est Deus, si propria significatio vocabuli (Hominis) retineatur.

Ex quo, non per Calvinianam aut Sophisticam, sed bonâ & necessariâ consequentiâ deducitur: Si verbum figuratè,

figuratè, & per tropum, Caro factum, & homo duntaxat figuratè & per tropum est Deus, quòd Filius Dei nos figuratè, & per tropum, verbótenus, vocétenus, per *analogiam* & permutationem vocabulorum, verbaliter redemerit, & nequaquam noster saluator sit, sed carni eius duntaxat hic honos tribuendus sit. Item: quòd homo assumptus, per tropum & figuram, seu figuratè, vocétenus, verbótenus, verbaliter sit Deus exaltatus, & figuratè ad dexteram virtutis & maiestatis Dei sedens, & res creatas in hoc & futuro seculo, figuratè, verbótenus gubernet & regat.

Caluiniani articulu Symboli Apostolici de redemptione & iustificatione non rectè credunt.

Et quia secundū humanitatem (vt illi contendunt) religiosa adoratione non est inuocandus: aut igitur irreligiosa inuocatione adorandus, aut prorsus non inuocandus erit. Cū secundum illorum opinionem, ad religiosam inuocationem Filij Dei, humana Christi natura non modò non necessaria, sed prorsus & procul ab ea remouenda sit. Ad quam humanam naturam, tanquam ad obiectum adorationis, etiam in ipsa Vnionè, inuocationem dirigi, perinde esse dicunt, ac si quis cum Imperatoris pileo sermonem instituere vellet, ad quem minimè pertineat. Quod non modò Danaus, sed Beza quoque cum compilatoribus Orthodoxi consensus, & Bremensibus Caluinistis apertè confirmant.

Lampertus Danaus in assertionè contra D. Iacobum Andree,

Sed quæ pia mens, tantarum blasphemiarum, tot horribilium infinitorum errorum commemorationem sustinere potest? quos simul omnes nunc apertè defendere student, quorum maiores ipsorum vel puduisset, vel maiore saltem astutiâ diutius tegere conati essent. De quibus Lutherus, duntaxat

Vaticinium Lutheri de Iesuitis Nestorianis. In libro de concilijs & Ecclesia.

vaticinatus, & ipsos tandem eò perductum iri spiritu, à quo agitantur, scripsit. Quos in pontificio regno quoque latitare, & suo tempore in lucem perductum iri, apertis verbis prædixit. Et quis (inquit) nouit, quot Nestoriani in Papatu adhuc delitescant, qui concilium Ephesinum commendant, & ore fatentur: Hominem esse Deum, quod tamen sine spiritu faciunt, & quid dicant, nesciunt. Quod in Iesuitis videre licet. Hi enim, vt vaticinium Lutheri impleant, Calvinistarum in hoc argumenti genere socij facti, non minùs, quàm illi, hunc teterrimum & blasphemum errorem tueri conantur. De quibus cum aliàs à nobis dictum sit, tempori inferuientes, hoc loco nihil amplius addere volumus.

Zuingliani manifesti abnegatores Incarnationis Filij Dei & articulorum symboli de Christo.

Spero autem, Auditores ornatissimi, hac breui oratione satis perspicuè, & dilucidè demonstratum esse, Calvinianos & Zuinglianos vera & propria interpretatione verborum Euangelistæ, **VERBUM CARO FACTUM EST**, manifestè conuictos esse, Incarnationem Filij Dei apertè negare, & minimè credere, quòd Verbum sit caro, & Deus Homo factus.

Ex quo etiam manifestè sequitur, quòd nullum articulū symboli Apostolici de Christo rectè credant, sed simul omnes deprauent & corrumpant, adeoq; meritū Christi pariter cū persona ipsius tollant. Quòd redemptionis beneficium soli carni adscribunt, per tropum autem dunnaxat, per ἀντίδοσις vocabulorum, verbótenus & vocétenus Filio Dei etiam tribuant, quo nomine ipsis Papistis longè deteriores sunt.

Zuingliani & Calviniani abnegatores Maieftatis Christi.

Similiter quoq; hominem assumptum à Filio Dei, & ad dexteram virtutis & Maieftatis Omnipotentis exaltatum & collocatū, omni honore maieftatis exuunt.

Cuius

Cuius loco illi creatam potentiam & sapientiam tribuunt, inter Deum & Angelos atque beatos homines mediam, eamq; non maiorem, quàm Alcoranus Turcicus Christo tribuit. Quorum omnium commemoratione Iuventus studiosa admonita, quanto studio sibi ab illorum religione, eiusque Doctoribus, tanquam nocentissimis lupis, & seductoribus cauere debeant, intellexisse spero.

Religio Caluina
na & Turcicus Al-
coranus de Chris-
to idem.

Nunc etiam de fructu & vtilitate Mysterij incarnationis Filij Dei aliquid dicendū esset, quæ ad vniuersum genus humanum redit. Quod videlicet altissimus sese adeò demiserit, vt carnem humanam non solum diuino amore complecti, sed in suæ quoque personæ vnitatem assumere, & Caro fieri non dedignatus sit. Quia verò temporis & promissæ breuitatis ratio habenda est, paucissimis perstringemus.

De fructu & vtili-
tate incarnationis
Filij Dei,

Non enim sine causa Euangelista voce (carnis) vsus est, cum inquit: Verbum Caro factum est, & non dicit, Verbum, seu Filius Dei, homo factus est, vt magnitudinem tanti beneficij, & amoris Dei erga genus humanum nobis diligenter commendaret. Neq; enim ignotum est, quomodo vocabulo carnis, humani generis miseria in scriptura describatur. Omnis Caro fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos agri, inquit Esaias. Caro enim non modò infirma & fragilis, sed peccato quoq; & morti obnoxia est.

Caro quid in S. S.

Esai. 40.

Verùm nihil horum Filium Dei deterruit, quò minus caro fieret, sed quò maior carnis, hoc est, humani generis miseria fuit, eò arctiore vinculo secum illa copulauit. Cùm enim Caro seipsam ex omnibus his malis liberare, & redimere nō posset, Filius Dei nō simpli-

Cur Verbum Caro
factum sit,

Filius Dei passione
nos redemit.

Descensus Filij Dei
in inferiora terræ.

Philip. 2.

1.
Redemptio gene-
ris humani primus
fructus incarnati-
onis Filij Dei.

citer carnem sibi sociare, sicut sanctis angelis perpetuò coniunctus est, & manebit semper, sed caro fieri voluit, hoc est, eam sibi hoc modo copulavit, vt vna persona cum ipso esset. Qua ratione non caro duntaxat assumpta, sed ipse λόγος, particeps omnium miseriarum, legis maledictioni obnoxius factus, hominem ex omnibus illis malis liberatum, secum ad æternam & ineffabilem felicitatem atque beatitudinem exaltaret.

Quapropter in inferiora terræ, hoc est, in vterum virginis descendit, non locali descensu, qui cœlum & terram implet, sed operante Spiritu sancto, ex ipsius carne & sanguine, sine peccato, purgatam & sanctificatam massam assumpsit, eoque modo ex Spiritu sancto conceptus, purus & immaculatus ex inuiolata virgine nascitur, non caro duntaxat, sed Verbum Caro factum, hoc est, Filius Dei incarnatus, verus Deus & verus homo. Non in Maiestatis declaratione, quam Verbum nunquam deposuit, sed in forma serui (qui non est rapinam arbitratus, esse æqualē Deo) humiliavit seipsum, & exinaniuit, cū esset Dominus omnium, non ratione diuinitatis duntaxat, quæ exinani non potest, cū sit immutabilis, sed ratione humanitatis quoque assumptæ, in qua formam serui gestavit, omnibus carnis infirmitatibus, excepto peccato, adeoq; morti Crucis, & doloribus inferni obnoxius fuit, vt nostram carnem à peccato, morte, & inferno liberaret. Quæ prima pars beneficij Christi est, quod nobis Filius Dei sua incarnatione exhibuit, cū id nulla caro, nullus homo, quantumuis sanctus, præstare posset. Sed Verbum incarnatum, & Filium Dei esse oportuit, qui caro & homo factus, suo sanguine nos ab omnibus his malis liberauit.

Alte-

Alterum beneficium est, postquam ex omni miseria liberati sumus, per idem Verbum, quod Caro factum est, ad summam illam & æternam beatitudinem atque felicitatem exaltati sumus, qua in æternum perfruemur, quam omnibus electis suis præparauit. Quapropter massam semel in vnitatem personæ suæ assumptam, & in SEIPSO SUMME EXALTATAM, in coelos, hoc est, in regnum alterius seculi transtulit, eamq; in summam sublimitatem exaltauit. Vt porrò nusquam Verbum esse, nihil quidquam agere sine assumpta carne, sed per ipsam, in ipsa, & cum ipsa (vt Athanasius loquitur) omnia agere, omniaq; diuinæ suæ Maiestatis opera cum ea communia habere, & eandem quoque religioso cultu ab omnibus adorari velit.

Huius maiestatis, suprâ testimonia S. Scripturæ cum sufficienter audiuerimus, vnum duntaxat in fine monere volumus, veteris Ecclesiæ scriptores, quoties in huius Maiestatis considerationem perueniant, quasi in stuporem conuersos, nullis verbis eam satis celebrare potuisse. Chrysostomus super Heb. 2. Magnum, admirabile, & stupore plenum est, Carnem nostram SVRSUM federe, & adorari ab Angelis & archangelis. Hoc sæpe mente versans: ἐκστασις πατιορ. Et Cyrillus de Incarnatione cap. 11. Verbum in id, quod non erat, se immisit, vt & hominis Natura id, quod non erat, fieret, diuinæ Maiestatis dignitatibus, per adunationem fulgens. Eustachius. Humana natura Christi est σύνθετον, sedens in eodem throno cum diuinissimo spiritu, propter Deum inhabitantem in ea inseparabiliter.

Etsi verò nullus hominum, neque ipsi etiam beati Angeli in ea sede vnquam collocabuntur, in qua
sede

2.
Secundus fructus incarnationis Filij Dei æterna beatitudo.


Maiestas Humanitatis Christi exaltata.


S. Patrum consensus de Maiestate humanitatis Christi.

sede & throno Deitatis proprio, assumpta Caro collocata est, eius tamen non modò spectatores erimus, sed tanquam ipsius membra, qui caput corporis Ecclesiæ est, etiam pro mensura donationis Christi, perfecta beatitudine perfruemur.

De quo beneficio, cùm in natalitijs ferijs præsentibus plura audituri simus, vestrâ patientiâ, viri optimi doctissimiq̃ue, & studiosa Iuventus, non abuti volo. Deus Optimus Maximus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, nos omnes & singulos in vera agnitione huius Mysterij, gratiâ Spiritus sancti conseruet, quemadmodum Filius Dei propter nostram salutem factus est homo, vt nos per illum adoptiui fiamus, & permaneamus filij Dei, & æterni regni eius heredes efficiamur.

A M E N.








153650


AB: 153650

X 2205717



ALII LOUISI DVCKERI MERIT
TO LOVISORI APTI LVINO S
ONQSVVIT TERRAE PRO
DIE SEPTIMO





Oratio
DE INCARNATIONE
*ne Filij Dei, D. N. Iesu
Christi,*
CONTRA IMPIOS
ET BLASPHEMOS ERRORES
ZVINGLIANORVM ET CAL-
uinistarum,

IN VIGILIA NATIVITATIS
Iesu Christi Tubing&habita,

A
IACOBO ANDREA D.



T V B I N G A E,
Apud Georgium Gruppenbachium,
M. D. LXXXVI.

